Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1793
Quelle:
Copyright:

lis defectibus Monasterii ad mentem Concilii *Constant.* 3) *Modus visitacionis in Gotwico.* Visitatores erant *Angelus* Abb. de *Rewna* seu *Runa* O. Cist. in *Styria*, *Leonardus* jam memoratus Prior *Gemnicens.* Marscalcus Ducis *Alberti*, duo FF. de *Sublacu*, *Math.* nescio quis *Rörer*, et tres Doctores videlicet Acad. *Viennensis.* Describuntur minutim ingressus, consessus, utrinque proposita, recitantur Bulla *Martini* Pont. et Ducis ad Abbatem Literae, quibus lectis *fiebat sermo per Reuerendum Doctorem Magistrum Nicolaum de Dinkelspühl, in quo confutabat errores et negligentias nostras, et, quod deterius est, dixit nos esse de genere Sarabaitarum* (Vide Du Cangii Glossarium h. v.) *quod genus pessimum est Monachorum* &c. nec minori candore referuntur ea, quae Visitator Abbas praesentibus exprobravit. Accedunt Servanda *Gottvicensibus* imposita, et gratiarum Actio Abbatis loci, qua tamen et varia excusat, et conqueritur *inauditum seculares visitare religiosos*, et *celerem* reformationem deprecatur.

IV. *fol.* 47. *Sermones* IX. in varia Evangeliorum et Epistolarum Loca, quos edifferere operae pretium non est.

V. *fol.* 71. Vita S. *Wolfgangi* Ep. *Ratisbon.* cum Prologo Compilatoris *Othloni*, seu *Odilonis* Monachi S. *Emmerammi*, de qua jam alio hujus *Vol.* loco dixi, ut *Index* docet.

VI. *fol.* 84. p. 2. *Incipit vita venerabilis patris Brandani in nomine domini.* Per decursum etiam *Brendanus* audit. Initium: *Sanctus Brendanus filius finlocha nepos Altbi de genere cogem staugnilem regionis mumenensium ortus fuit. Erat enim vir magne abstinentie, et virtutibus clarus, trium milium fere pater monachorum* &c. In *Bollandistarum* scriniis duplex erat hujus S. Abbatis Vita *ms.* sed utramque ab Opere suo resecuerunt ob portentosas fabulas, quibus cum nostra praesens pariter scateat, alterutram earum esse credimus. Vide, si lubet, illos ad diem XVI. T. III. *Maji p.* 599. Interim differt nostra ab ea, quam titulo vernaculo: *Sant Brandons Buch, was er wunders erfaren hat*, jam Seculum XV. typis excudit, et fortasse novum Seculum repraesentabit. Ita, dum una ex parte Intellectus humani imperium ultra omnes metas proferre nitimur, ex altera ad putidas Anicularum fabellas prurimus.

VII. *fol.* 102. *Urbanus episcopus seruus seruorum dei significamus tam presentibus quam futuris. Quod oracionum presencium suffragia dicens est penitus supportatus a canonicis horis vrgente necessitate, insuper centum et quadraginta dies vere indulgentie dicenti has horas non fictas sed per spiritum sanctum nobis transmissas misericorditer relaxamus.* Ut nihil in Orationibus per horas canonicas distributis, quae sequuntur, carpas, displicet adpensa hedera. Quis enim ille *Urbanorum?*

VI.